ex sua eminentia comprehendere, ac penetrare potest omnem activitatem liberi arbitrii in quocunque rerum ordine positi, ut certò sciat, quid infallibiliter faceret, si de facto in hoc, vel illo rerum ordine poneretur; & Deus suum præstaret concursum; ergo potiori ratione recurrimus nos ad infinitatem divinæ voluntatis in ratione primi liberi supposita sola scientia simplici possibilium effectuum ab humana voluntate possibilium in quocunque rerum ordine; probatur consequentia, quia ex tali infinitate sufficienter habet divina voluntas, ut possit ab æterno coincidere in eandem prorsus volitionem, in quam incidet creata voluntas in tempore, absque ulla prorsus nostræ libertatis læsione, & sic salvatur perfectissimus decernendi modus ex parte Dei, & remanet intacta libertas ex parte creaturæ evitando incommoda, quæ ad duas extremas sententias Thomistarum, & Neutralium sequuntur ex dictis; & tandem ex hac media sententia patet, quomodo benè verificetur, providentiam Dei in administrandis creaturis liberis esse fortem, & suavem juxta illud Sap. 8. *Deus attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter*, quia enim ità vult effectus ab æterno determinatos fieri à voluntate creata, ut implicet contradictionè non fieri stante Dei proposito, dicitur eos attingere *fortiter*; & quia vult eos fieri decreto virtualiter; ac eminenter involvente usum liberum voluntatis creatæ modo prædeclarato, dicitur eos attingere *suaviter* juxtà naturalem exigentiam, & modum operandi causæ secundæ liberæ.

177 Sghemma loc. cit. q.4.ad hæc nititur respondere, sed adeò laconicè, stiloque adeò conciso, ut tàm in proponendis, quàm in solvendis argumentis vix benè percipi possit, quid dicere velit, nam ad quodlibet argumentum more suo quatuor, vel sex aggerat responsiones, quatuor, vel sex verbis contentas, & restrictas, ex quibus vix unam bonam colligere queas; Negat itaque, ut summatim dicam, dari talem contenientiam eminentialem, & virtualem voluntatis creatæ in divina, & ea admissa negat, posse in ea fundari concomitantiam decreti divini à nobis explicatam, nam licèt velle Dei involvat nostrum, non tamen mutuò, & vicissim se involvunt, & velle Dei involvit creatum cum essentiali subordinatione, ac dependentia, non conveniunt, vel coincidunt, velut à casu, vel fortuna, & si virtute involvit voluntatem creatam, hoc est, quia Deus vult eam se determinare cum ipso in tempore, non verò, quia antequam velit, simul se determinent ab æterno; neque nostra voluntas habet, undè coincidat cum velle Dei, nisi velit Deus eam velle, nàm à se non vult, à se non est, à se non agit; Deus autem dicitur se se accomodare causis secundis præsertim liberis, quia vult conformiter ipsis, quia attingit fortiter, & suaviter, non rapitur, nec coacta trahitur voluntas, sed suos motus volens agit volente Deo, ut agat; & coagente Deo, dùm agit. Neque ex lege statuta, quòd causæ liberæ faciant motus suos, habent, ut cum Deo conveniant in eandem volitionem, quia jam non liberè convenirent, quandoquidem à quo vult una, non posset alia se retrahere. Ad illud de infinitate inquit, quòd sicut divinus intellectus, licèt infinitus, non penetrat, quid faceret voluntas, nisi Deus velit, ità nec voluntas Dei vult, quod nos volumus, nisi velit, ut velimus; nec voluntas nostra potest concordare cum Deo, nisi volente Deo, ut concordet. Ad illud de duobus hominibus in unum convenientibus ait, quòd ut duo homines ratione, & natura distantes concordes fiunt, ità ex prima regula agendi *Deus vult*, conveniunt Deus, & creatura; & à casu possunt duo in idem velle exire, Deus, & creatura nequaquam, sed per necessariam, & essentialem subordinationem. Neque ad hoc satis est, quòd simul velint; quia in hoc, quòd tantùm simul vellent essent concausæ, & secunda suum velle non acciperet à prima. Concludit, tutius esse, ut quòd Deus, vult velimus, & convenientiam nostram volenti Deo submittamus, quàm si nobis arrogemus.

178 Responsiones istæ, sicut & argumenta, quę facit idem Auctor contrà hanc sententiam mox dissolvenda, fundantur in mala ejus intelligentia, non enim nos dicimus, velle nostrum involvere velle Dei; aut mutuò se involvere absque ulla dependentia, & subordinatione, itaut inter se coincidant, & conveniant, velut à casu, & fortuna, neque dicimus, nostram voluntatem ex se habere, quòd coincidat cum velle Dei, priusquàm Deus velit eam velle; sed dicimus, quod determinatio voluntatis creatæ involvitur in decreto Dei, quo actus liberos ejusdem decrevit, futuros, & ideò nec ordine causalitatis præcedit decretum Dei, nec sequitur, sed illud omninò concomitatur, tanquam in illo virtualiter implicita; cum quà tamè simultate *in quo* stat prioritas *à quo*, ità quòd Deus velit à seipso facere, voluntatem verò creatam cum dependentia ab illo, quod sufficit ad essentialem subordinationem servandam voluntatis creatæ ad divinam, dicimusque hanc, concomitantiam esse virtualem, quia non volumus, quòd inclinatio voluntatis creatæ in alteram partem privisa sub conditione præcedat omne decretum divinæ voluntatis, ut dicunt Neutrales, sicut enim voluntas creata non potest se inclinare determinatè sine concursu specificato Dei exhibito, sic nec Deus videre potest, in quam partem posito isto rerum ordine reipsa se inclinaret voluntas, nisi priùs videat, in quam partem ipse specificatè inclinaret eam, non enim potest videre Deus res aliter, quam fiant, & sint; Neque è contrà admittimus, Deum ita prædeterminare voluntatem creatam ad certum actum, quòd ipsa omninò antecedenter intelligatur determinata, ut ajunt Thomistæ, sed media quadam via gradientes putamus, quòd sicut divina voluntas in ratione primi liberi continet eminenter omnes creatas voluntates, non tantùm in ratione entis, sed secundum illam perfectionè liberè eligendi quodcumque voluerint, ita quoque decretum ejus virtualiter includit determinationem voluntatis creatæ, non solùm quatenus hæc in tempore sequitur ad decretum Dei in æternitate præcedens, sed quatenus tale decretum Dei præcedens est omninò illi æquivalens, & conforme, adeout dici possit, determinationem voluntatis creatæ seipsam in tempore positam virtualiter præcedere in divino decreto, ratione cujus æquivalentiæ dici debeat divinum decretum omninò concomitans, itaut quicquid indè sequitur in tempore non intelligatur sequi ex aliquo antecedenti ad determinationem liberam voluntatis creatæ, sed veluti ex quadam suppositione determinationem ejus liberam includente; Et hoc ipsum fatetur, ipse respondens, cum ait ideò Deum dici se accomodare causis secundis liberis, *quia vult conformiter ipsis* quomodo enim Deus diceretur velle conformiter ipsis, si omninò antecedenter consensum earum, & nulla prorsus habita ratione de ipso, prædeterminaret, quicquid ipse vellet ab eis in tempore futurum? planè hoc non esset velle conformiter ipsis, sed omninò conformiter sibi ipsi nulla habita prorsus de ipsis ratione.

Neque ex illa generali Lege statuta, quòd Deus velit sinere causas liberas, agere motus suos, dicimus, eas habere, ut 179
cum Deo conveniant in eandem volitionem, sed omninò è contrà Deus ex ista lege teneri, ut decernendo conveniat in eadem volitionem, & determinationem cum voluntate creata, neque hinc amittit Deus suam libertatem, quia non ex necessitate, sed ex sua maxima liberalitate statuit illam legem, undè teneatur se accomodare causis secundis liberis; Et cum inquit, Deum velle non posse, quod nos volumus, nisi velit, ut velimus, hoc certissimum est, sed opus non est, quod id velit prius ordine causalitatis explicato per prioritatem *in quo* antecendenter nostram voluntatem determinado, alioquin non vellet, quod nos volumus, sed quod ipse præcisè; sed sufficit, quod prius velit prioritate *à quo*, cum qua stat simultas *in quo*, quo etiam modo intempore dicitur Deus ad eundem effectum concurrere cum voluntate creata, prius quàm ipsa concurrat, licèt concursus ambarum sit simultaneus, ut respondens ipse concedit; cùm etiam inquit, voluntatem nostram non posse concordare cum Deo, nisi volente Deo, ut ipsa concordet, hoc etiam verum est; sed ex hoc nil contrà nostram positionem sequitur, non enim dicimus, ad libertatem nostram salvandam opus esse, quòd nostra voluntas concordet cum divina sed è contrà, quòd divina concordet cum nostra se se illi accommodando in decernendo, ut dicatur velle conformiter ipsi. Cùm inquit, Deum, & creaturam in eandem convenire volitionem, tàm ab æterno, quàm in tempore ex illa prima regula agendi *Deus vult*, manifestè sibi contradicit, nam prius dicebat hoc provenire ab illa lege, quòd velit sinere causas secundas agere motus suos, & quòd velit se se illis accommodare, tàm decernendo ab æterno, quàm in tempore concurrendo, quam legem constat, distinctam esse ab illa prima regula agendi *Deus vult*; nam ex vi istius regulæ æquè agunt causæ naturales, ac liberæ, & tamen naturales non agunt liberè, ergo ex vi ejus præcisè inspectæ, præscindendo ab illa alia generali lege, quòd velit sinere causas liberas agere motus suos, causæ istæ non agunt liberè, nec Deus ex vi ejus præcisè convenit cum creatura in eadem volitione liberè elicita. Cum inquit, in hoc, quod simul vellent, essent concausæ, & secunda suum velle non acciperet à prima, hæc instantia retorquetur contrà concursum simultaneū causæ primæ cum secunda in tempore, quam respondens concedit absque concursu prævio in causam, aut physica prædeterminatione intrinseca, nam ex hoc urgeri posset, quòd essent concausæ, & quòd causa secunda non accipere suam causalitatem à prima; & sicut ipse negaret consequentiam, quia per solam prioritatem *à quo* divini concursus salvatur subordinatio

dinatio essentialis causæ secundæ ad primam; ita nos quoque dicimus de decreto concomitanti ab æterno. Cùm tandem concludit tutius esse, ut, quod Deus vult, velimus, & convenientiam nostram volenti Deo submittamus, quàm si nobis arrogemus. Dicimus ex nostra positione hoc totum sequi, neque hinc aliquid nobis arrogare, sicut neque aliquid nobis arrogamus ex hoc, quòd cum Deo simul ad eundem effectum concurramus, quia cum tali simultate concursus stat semper prioritas *à quo*, quæ salvat subordinationem, & submissionem creaturæ ad Deum; & sicut concurrente Deo nobiscum in tempore ad nostram volitionem eliciendam non tantùm dicimur velle, quod vult Deus, sed etiam quod nos volumus, & hoc absque ulla prorsus arrogantia, quia ipse complacuit nos constituere in manu consilii nostri, ita pariter dicendum de decretis concomitantibus ab æterno; & sicut nimis religiosus esset, qui vellet, Deum ita in omnibus operari, ut nollet secundas causas ullam propriam habere causalitatem, ita quoque nimis religiosum est, ut dicamur nos tantùm velle, quod Deus vult, nam in hoc nulla nostra appareret libertas; volumus ergo non solùm quod Deus vult, sed etiam, quod nobis placet, quatenùs complacuit nostrę libertati accomodare suum velle.

180 Postremò probari potest assertio nostra de concomitantia divini decreti sumpta ex infinitate divinæ volùtatis in ratione potentiæ volitivæ, & primi liberi auctoritate Patrum, & præsertim D. Auguſt. lib. de correptione, & gratia cap. 14. ubi ratione hujusmodi infinitatis ostendit, Deum velle posse, quicquid nos volumus, & quicquid ipse vult, quia magis habet voluntates hominum in sua potestate, quàm ipsi suas; quod probat ex electione tùm Saulis, tùm Davidis in Regem; *quando enim Deus*, inquit, *voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israelitarum subdere se memorato viro, sive non subdere, quod utique in eorum erat positum voluntate, ut etiã Deo valerent resistere, qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandorum omnipotentissimã potestatem.* & postea loquens de electione Davidis in regem, & quomodo populum in eam induxerit inquit, *numquid corporalibus nullis vinculis alligavit eos voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit, si ergo cum voluerit Deus reges in terra constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipse suam &c.* Hic intendit Auguſt. ostendere modũ, & rationem, cur Deus velle possit quicquid sibi, & nobis placet servata nostra libertate; idque non reducit in summam divinæ voluntatis efficaciam, quasi nos prædeterminet ad volendum, quod ipse vult, quia vinculis nos non alligat, imò nos trahit voluntatibus nostris coincidendo nempè in easdẽ nostras volitiones; sed reducit in infinitatem potentiæ volitivę in ratione primi liberi, ratione cujus habet omnimodam potestatem inclinandi nostras voluntates in quam nobis, & ipsi libuerit partem, & ratione cujus magis habet in potestate sua voluntates nostras, quàm nosmetipsi; sed sic est, quòd nos ipsi ita habemus in nostra potestate voluntates nostras, ut per eas determinare possimus, quicquid nobis placet, ut ait Aug. lib. 3. de lib. arb. c. 3. *nihil magis est in nostra potestate, quàm ipsa voluntas*, ergo sic etiam, & tantò magis potest determinare Deus etiam ab æterno absque ullo nostræ libertatis detrimento. Ubi etiam constat, Aug. non reducere divinorum decretorum concomitantiam in prævisionem determinationis voluntatis nostræ, quid nempè factura esset, si in tali, vel tali rerum ordine poneretur, ex infinita potestate cognitiva divini intellectus; sed præcisè reduci in infinitam potestatem divinæ voluntatis in ratione potentiæ volitivæ, & primi liberi, ratione cujus magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas; Quoniam si divina voluntas ex hoc precisè capite in eandem volitionem coincideret cum voluntate nostra, quod antecedenter præsentatum fuit ab intellectu, quid ipsa esset volitura; non sufficienter ex hoc deducitur ejus infinitas in ratione primi liberi, nam hoc pacto etiam & ego coincidere possum in eandem prorsus volitionem cum Petro, si jam prævidi, quid sit volituras; cum ergo divina voluntas in ratione primi liberi plus valeat in infinitum, quàm mea voluntas, dicendum est, ratione talis infinitatis posse coincidere in eandem Petri volitionem, etiamsi ipsam non præviderit per scientiam mediam, sed tantùm quid possit velle in hoc, vel illo rerum ordine per scientiam simplicis intelligentiæ.

181 Rursus hanc concomitantiam non obscurè indicat Aug. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. multò post principium, cum ait *Deus, ut velimus, & suum esse voluit, & nostrum*, quibus verbis clarè insinuat divini decreti concomitantiam à nobis explicatam, & negat antecedentiam, si enim Deus independenter omninò ab usu liberi arbitrii prædeterminaret nos velle hoc, vel illud, falsò dixisset, tale velle ex ea sequens prædeterminatione, partim esse suum, & partim nostrum, hoc est, ex libertate nostra descendens, nam totaliter suum esset; quamvis enim eliciti vè esset quoque nostrum, non tamen esset nostrum liberè, ut ibi Aug. intendit, sed necessariò, & necessitate orta omninò ex suppositione antecedenti. quæ nullo modo fuit in potestate nostra, si ergo Deus, ut velimus in tempore, & suum esse voluit, & nostrum, quando talem volitionem ab æterno determinavit futuram, dicendum est, talem determinationem non fuisse antecedentem, sed omninò concomitantem, itaut partim fuerit sua, partim nostra, sua quidem formaliter, & cum prioritate *à quo*, nostra verò virtualiter, & cum dependentia ab eo. Sed clarius adhuc est testimonium Chrysostomi hom. 12. in ep. ad Hebręos post mẽdium, ubi ad salvandam humanæ voluntatis libertatem loquens de modo, quo Deus ad actus nostros nobiscum in tempore concurrit, & quo eos determinat, futuros esse ab æterno, sic ait, *non antecedit voluntates nostras, ne lædatur arbitrium nostrum*, ergo secundum Chrysostomum sicut prædeterminatio physica in tempore arbitrium lædit, & usum ejus liberum impedit, ita quoque prædeterminatio extrinseca ab æterno, quia ejus liberum usum præveniret, & ad alteram omninò partem independenter ab eo prædeterminaret; ergo decreta æterna ponenda sunt concomitantia, non antecedentia; & cum non possint poni concomitantia ex prævisione futuri eventus à voluntate nostra sub conditione, ut Neutrales contendunt, ex suprà dictis art. 4. & inferiùs adhuc dicendis q. seq. restat, ut ponatur concomitantia modo jam explicato. Patet ergo, quomodo Deus suo absoluto decreto extrinsecè determinat voluntatem nostram ad aliquem actũ, non tamen ipsa se omninò passivè habente, quasi priùs velit eam determinatam, quàm se determinante, sed solùm concomitanter cum ipsa, quasi volens illum actum cum ea, & quasi velit eam se determinantem ad illum actum, unde hoc modo rectè salvatur, & modus Dei agendi perfectissimus, & libertas nostra incolumis.

Hic ergo dicendi modus est omninò in schola nostra retinendus, & quia rationabilis est, & quia conformis doctrinæ Scoticæ; rationabilis (inquam) quia ostendit eminentiam voluntatis divinæ, & modum agendi ejus perfectissimum conformem suo illi decreto antecedenti, & universali de administrando causas liberas, ut suos motus agere possint, nam si alio modo decerneret actum futurum in particulari, ut scilicèt vellet causam secundam liberam prædeterminatam ad actum illum, & non potiùs se ad actum illum determinantem, jam alio modo in particulari definiret, quàm sua illa universali lege statuisset cum causis liberis operaturum fore, quia sicut diximus art. præced. implicat, causam liberam operari, ut prædeterminatam ad unum, & adhuc liberè operari. Est etiam hæc positio Scoticæ doctrinæ conformis, quia Scotum p. d. 44. qu. un. non aliter dicendum, est Deum determinare res facere, quàm faciat, quarè cum actus liberi fiant, ut à Deo simul, & voluntate creata simul sint, dicendum est consequenter in ejus sententia, Deum ita determinare eas facere, ut à se simul, & à voluntate creata velit eas futuras, ideòque in suo ipsò decreto de actu libero futuro determinatio libera creatæ voluntatis implicitè contineatur, maximè quia decreto illo universali antecedente statuit ita se velle causas liberas administrare, ut sinat eas motus suos agere; & hæc concomitantia divini decreti deducitur etiam expresè ex 2. d. 37. §. *ad solutione istorum*, ubi ait, causas secundas non determinari ex se antecedenter à prima ad unum effectum determinatum, ut expendi suprà n. 113.

ARTICULUS NONUS.

Solvuntur rationes adversùs.

182 IN oppositum contrà concomitantiam divini decreti declaratam arguit Sghemma q. 4. cit. multipliciter, Primò continentia virtualis causæ secundæ in prima absolutæ necessitatis est; ergo non salvat libertatem, probatur sequela, ex eo, quod est necesse esse, non oritur libertas ejus, quod nondum est. Tùm 2. æquè continetur in causa prima causa secunda naturalis, ac libera; ergo ex continentia non pendet libertas, probatur sequela, modus agendi oppositus non trahit originem ab eodem, nec ab eo, quod est virtute, fit decretum, sed ab eo, quod est, & habet virtutem. Tùm 3. volitio Dei si continet virtute effectum mæ voluntatis, non formaliter, ergo non salvat formaliter libertatem mæ volũtatis; probatur sequela: effectus formaliter liber est ex causa formaliter

liter libera, non ob causam contentam in virtute. Tùm 4. liberè determinat, Deus effectus naturaliter futuros, qui eminenter continentur in Deo, nec eminentia facit naturalitatem, sed causa secunda naturalis sic subordinata Deo; ergo causa libera subordinata voluntati Dei facit libertatem, non continentia. Tùm 5. effectus esset liber à continentia in Deo, non à causalitate libera extrà Deum. Tùm 6. simultas hæc à continentia in virtute reducit libertatem causarum ad dualitatem, non ad unitatem, & tollit in aliquo essentialem subordinationem secundæ ad primam; probatur assumptum, in hoc, quòd simul ambæ decernunt, causa secunda non est à prima, sed simul cum prima, ergo dualitas, non unitas in hoc essentiali ordine ordine volendi. Tùm 7. decreta Dei non habent comitem creatam voluntatem; ergo non sunt concomitantia; probatur antecedens, decreta sunt Dei, non mei, decrevit Deus sine nobis, at liberè agere cum nobis, Deus est causa prima, non comes, & socia in decretis cum secunda; Tùm 8. decrevit Deus agere simul cum secunda, sed decretum Dei non est cum secunda, sed præcisè à Deo, nam volitio Dei æterna non est cum volitione causæ secundæ, quæ ex tempore incipit velle. Tùm 9. ex suppositione decreti, in quo continetur effectus noster in virtute, actus formalis, qui in tempore à nobis esset, jam amplius liber non esset; probatur sequela, nam suppositio antecedens etiam ex Dei voluntate jam auferret à nobis voluntatem. Tùm 10. in volitione Dei non continetur propriè in virtute mea volitio, nam non est causa volitionis meæ, sed quid præsuppositum, & illi extrinsecum, at continentia virtualis continet dependentiam causæ, & causati 3. d. d. 1. q. 5. A. Tùm demum, quòd decretum Dei coincidat cum creata voluntate, non est à continentia, & virtute, sed quia formaliter creata voluntas fit illi conformis in tempore; ergo non ex eminentia petenda conformitas; antecedens probatur, continentiam non facimus, liberum actum facimus: ergo à continentia non est libertas.

183 Respondeo retorquendo argumentum, efficacia infinita divinæ voluntatis secundùm Thomistas est causa, cur creata voluntas operetur, & liberè operetur, & tamen absolutæ necessitatis est in Deo, item secundum Sghemmam essentialis subordinatio causæ secundæ liberæ ad primum velle Dei liberum est causa nostræ libertatis, ut asserit quæst. 5. & tamen absolutæ necessitatis est: ergo pariter in proposito esto virtualis continentia causæ secundę in prima secundum omnem ejus agendi modum sit absolutæ necessitatis, non sequitur, quin possit esse radix, unde sumatur concordia nostræ libertatis cum divinis decretis; quarè negatur sequela, ad cujus probationem negatur assumptum absolutè prolatum, nam omnia entia contingentia à voluntate Dei dependent, ut à prima radice, quæ tamen in se est ens summè necessarium; verum igitur est, ens necessarium esse non posse causam contingentiæ, quatenus necessarium est, benè tamen quatenus ad aliud dicere potest ordinem contingentem. Ad 2. retorquetur etiam, æquè subordinatur Deo causa secunda naturalis, sicut libera, ergo ex tali subordinatione non pendet libertas, ut asserit arguens; sicut ergo per ipsum salvatur, quia causa libera tali modo subordinatur, quo non subordinatur causa naturalis, sic nos dicimus, quòd licèt æquè contineantur virtute in prima causa secunda naturalis, & libera, continentur tamen secundum diversum agendi modum. Ad 3. non dicimus, continentiam illam virtualem præcisè esse radicem concordiæ libertatis nostræ cum divinis decretis, sed duplicem assignamus radicem: prima est illa virtualis continentia, altera est lex illa universalis, quæ statuit causas liberas finere, ut motus suos agant; ex hoc enim duplici capite offert illis concursum paratum in actu primo ad duas oppositas partes, & ex his posteà decreto absoluto, & ultimato illum determinatè præbet in actu, ad quem causa secunda liberè se determinaverit actualiter in tempore, & virtualiter ab æterno medio illo decreto concomitanti; deindè argumentum in se nihil absolutè concludit, nam voluntas nostra virtualiter continere dicitur actum suum, donec illum ponat in esse, & non formaliter, & tamen actus, cùm producitur, est formaliter liber; neque nos dicimus, actus nostros esse formaliter liberos eò præcisè, quia contineantur virtualiter in voluntate divina, nam contingentiam eorum, ac libertatem agnoscere quoque debemus, quia in tempore fiunt à voluntate nostra formaliter libera. Ad 4. jam dictum est, quod licèt effectus quoque causarum naturalium eminenter, & virtualiter in voluntate divina contineantur, non tamen eodem modo, nec secundum eundem agendi modum se illis accommodat, nam cum liberis agit, habens concursum paratum ad alteram partem pro eatum libertate salvanda; cum naturalibus verè liberè quidem concurrit ex parte sua, sed modo naturali ex parte earum, quia cum eis concurrit concursu ad unum prorsus determinato, & ad alteram partem denegato tàm in actu primo, quàm in actu secundo, unde diversus iste modus concurrendi, & determinandi actiones liberas salvat nostram libertatem, non verò subordinatio ad causam primam, tùm quia hæc est æqualis in causis naturalibus, & liberis, cùm ambæ æquè indigeant concursu causæ primæ, ut suas exerceant operationes; tùm quia subordinatio, ut sic, libertatem non facit in causa libera sic subordinata, sed solùm facit, quòd talis libertas dicatur participata.

Ad 5. negatur sequela cum consequente quoad secundam 184
partem, quia contingentia actionum nostrarum, non solùm attendi debet ex parte causæ primæ, sed præcipuè etiam ex parte causæ secundæ, & proximè; neque ex parte Dei pro radice contingentiæ, & libertatis nostræ cum divinis decretis assignamus solam illam virtualem continentiam, sed generalem quoque legem sinendi causas liberas, ut agant motus suos, ut mox dicebam. Ad 6. hoc idem argumentum, quod fit contrà simultatem virtualem in decernendo, fieri potest contrà actualem in concurrendo; sicut ergo simultas concursus in tempore, non tollit unitatem causæ primæ, nec subordinationem secundæ ad illam, quia cum tali simultate *in quo* stat prioritas *à quo* ex parte causę primę independenter agentis, sic pariter dicendum de simultate virtuali in decernendo ab æterno. Ad 7. idem pariter argumentum fieri potest de concursu simultaneo in tempore, quod Deus cum sit causa prima, non sit comes, & socia cum secunda in effectuum productione; sicut ergo in tempore prima causa est comes, & socia secundæ, & è contrà, quia simul concurrunt ad eundem effectum servata tamen essentiali subordinatione secundæ ad primam, quia hæc agit independenter ab illa, non è contrà; ita servata proportione nullum absurdum est, causam secundam esse comitem primæ in divinis decretis saltem virtualiter, cùm enim non aliter decernat ab æterno, quàm faciat in tempore, sicut in tempore causam secundam assumit sociam in agendo, ita etiam in decernendo ab æterno servata proportione, & licèt decreta æterna sint Dei tantùm actualiter, & formaliter, sunt tamen etiam mei saltem virtualiter. Ad 8. eò ipso, quod decernit Deus ab æterno agere in tempore cum causa libera, & conformiter ipsi, eo ipso intelligitur virtualiter id decernere cum ipsa, nam si hoc decerneret decreto omninò antecedenti libertatem ejus præveniendo pœnitùs consensum ejus, non posset assignari ratio, cur decreverit agere conformiter ipsi; itaq; decretum Dei ab æterno est ab ipso tantùm actualiter, & formaliter, sed etiam à causa secunda virtualiter, tùm ob virtualem ejus continentiam in voluntate divina, tùm ex generali lege statuta sinendi causas secundas motus agere. Ad 9. negatur sequela cum ejus probatione, nam suppositio illa divini decreti concomitantis non est antecedens, sed consequens. Ad 10. estò divina volitio non esset causa volitionis meæ, quod tamen arguens concedere debet, cùm ponat ipsam per modum prædeterminationis antecedentis volitionem meam ordine causalitatis, tamen divina voluntas est ejus causa in ordine suo, scilicèt causæ primæ; sed sicut in tempore ab hac causalitate causam secundam non excludit actualiter, ita neque ab æterno excludit virtualiter. Ad ultim. quòd decretum Dei coincidat cum creata voluntate, non est ex eo præcisè, quia creata voluntas fit ei conformis in tempore, ut argumentum assumit, sed quia & in agendo, & in decernendo se accomodat causis secundis, & vult conformiter ipsis, ut arguens concedit in solutione ad 4. rationem, non potest autem assignari ratio, quomodo velit conformiter ipsis, nisi vel recurrendo ad prævisionem effectus ab eis conditionatè futuri cum Neutralibus, vel nobiscum ad decretum concomitans.

Secundò arguit ad idem, continentia Dei virtualis est sup- 185
positio antecedens actum nostrum formalem, ergo si decretū Dei liberum antecedens impedit libertatis usum, continentia Dei virtualis, quæ necessariò est, & necessariò est antecedens, magis impedit libertatem actus formalis. Tùm 2. actus formalis nunc est, continentia ab æterno erat; ergo continentia est suppositio antecedens ad actum formalem. Tùm 3. hoc meum velle, quod dicitur concomitans, non est prævisum, sed volitum à Deo; ergo non est concomitans, sed consequens decretum Dei; probatur antecedens, quia Deus vult, ego volo; ergo volitum, & non prævisum. Tùm 4. concursus ad simul agendum nexū habet; ergo aut ex causalitate primę causæ, aut ex præscientia futuri eventus secundæ; ergo non convenisunt, nisi una ordine naturæ præcedat aliam in velle, aliter à casu, & fortuitò convenirent ad simul agere, quod fuit argumentum Suarez cit. lib. 1. c. 6. num. 10. Tùm 5. comitantia aut est volitio Dei, aut præscientia mei, aut causalitas Dei,

Dei, & mei; si volitio, ergo à decreto creata voluntas pendet in volitione; si præscientia, ergo à nobis initium volendi; si causalitas, ergo causa secunda egeret prima, ut comitatetur per eam, non ut præveniretur ab ea; item vellet cum volitione Dei, sed non volente Deo, ut velit; at August. in enchir. nihil fit, nisi Deus fieri velit, & de dono persev. nec de bona voluntate gloriandum, desuper enim donata, quod probat etiam aliis tùm Scripturę, tùm Patrum testimoniis dicentibus, bonum velle in nobis à Deo incipere. Tùm denique, quia ex hac positione multa sequuntur absurda, causa secunda ageret, non ut mota à prima, sed cum prima; magis penderet à Deo causę naturales, quàm liberæ, & indifferentes, nam cum illis non modò ageret, sed vellet, ut agerent; cum illis solùm coageret, & expectaret suo modo, ut agerent; indifferentia causę secundę esset à se activa, non à Deo; voluntas Dei ad actus nostros tantùm, ut causa universalis se haberet, nam assistente nobiscum vellet, ut ageret. Non aliud decretum præcessisset in Deo, nisi quia voluisset, causas secūdas esse, & motus earum fieri: causa prima, & secunda convenirent in velle, sed quo convenirent, nescimus; velle nostrum esset essentialiter subordinatum primæ, & non esset dependens in nobis à prima.

186 Respondeo, quamvis continentia virtualis nostræ voluntatis in divina sit suppositio antecedens, & necessaria, decretum tamen de nostris eventibus liberis dependens ab ea virtualiter continentia, & à lege statuta, quòd causæ liberæ sinantur motus suos agere, est suppositio concomitans, & ab hoc concomitanti decreto sumitur proximè, & immediatè libera futuritio actuum nostrorum, non autem ab illa virtuali continentia præcisè, & immediatè. Ad 2. patet per idem, deindè malè deducitur consequentia, quia prioritas æternitatis ad tempus non necessariò infert suppositionem antecedentem, ut omnes concedunt de præscientia Dei respectu futurorum, cùm tamen hæc in æternitate præcedat, sed prioritas causalitatis est, quę infert suppositionem antecedentē, qualē ponit arguens in divino decreto respectu futurorum. Ad 3. idem argumentum fieri potest de actuali concursu Dei in tempore cum voluntate creata, ideò enim volo in tempore, quia Deus mecum concurrit, & mecum vult, & tamen hinc non deducitur concursus Dei prævius, sed tantùm simultaneus etiam secundùm argumentum; sicut ergo in tempore illa causalis *ego volo, quia Deus vult*, non dicit propriè notam causalitatis, sed simplicis concomitantiæ cum sola prioritate *à quo*, ità etiam ab æterno; quarè ad argumentum dico, meum velle esse à Deo volitum non quidèm antecedenter, sed solùm concomitanter. Ad 4. concursus primæ causæ cum secunda ad determinationem futurorum ab utrisque in tempore nexum habet ex neutro capite in argumento assignato, sed conjunguntur ex vi memoratę virtualis continentię, supposita generali lege, quòd causæ secundæ motus suos agant, & ideò non sequitur fortuitò conjungi, ut accidit in creatis, cùm duæ voluntates in eundem coincidunt volendi modum, quando una alteram non determinat ad idem, nec una unitur alteri ex præscientia suæ volitionis; voluntas ergo divina non sic fortuitò coincidit cum voluntate creata, sed per se, & ex intentione, nimirùm ob continentiā eminentialē ejus, & ex intentione servandi legem illam generalem, quòd sinantur causæ liberæ motus suos agere. Ad 5. concedo tertium membrum, & quod indè infertur, nam sicut in tempore causa secunda non eget concursu Dei prævio, & antecedente, sed tantùm simultaneo, & concomitante, ut arguens ipse concedit absque ullo prorsùs absurdo, ità quoque dici potest in proposito; & cùm ex hoc infertur, quòd voluntas creata vellet non volente Deo, ut velit, antecedenter, concedo, concomitanter, nego, quo etiam modo responderi deberet, si argumentum fieret de concursu simultaneo in tempore, quòd si non esset prævjus, tunc vellet cum volitione Dei, sed non volente Deo ut velit, & hoc pacto explicari debet dictum Aug. in Enchir. Aliæ verò auctoritates non sunt ad rem, quia loquuntur de operibus pietatis, & salutis, in quibus Deus prius operatur, quàm creata voluntas, nedùm prioritate *à quo*, sicut in cæteris ordinis, naturalis, sed etiam *in quo* per præmotiones gratiæ excitantis, & prævenientis.

187 Ad ult. nego, ex nostra positione illa absurda sequi; primum non sequitur, cùm enim dicitur, causa secunda movere mota à prima, sermo est de motione intrinseca, & concomitanti in tempore, non de motione extrinseca, & prævia ab æterno, de qua modò disputamus, benè enim stat, quòd Deus concurrens cùm causis secundis simul moveat, & determinet eas in actu secundo, cùm ad actum secundum se moveant, ac determinant, quatenus influit nedùm in communem effectum, sed etiam in ipsammet actionem, qua se movent ad agendum; & tamen non prædeterminet eas, antequàm operentur, aut intrinsecè per decretum suum antecedens, ut dictum est n. 75. Neque secundum, quia tàm causæ liberæ, quàm naturales, unaquæque in ordine suo, indigent concursu divino ad suos effectus producendos; & vult Deus, ut omnes agant ex illa generali lege, quòd omnes agant, liberæ quidèm cum dominio sui actus, naturales verò omninò necessariò; Neque tertium, quia licèt simul coagant in tempore actualiter, & simul decernant ab æterno virtualiter, attamen cum tali simultate *in quo* stat prioritas *à quo*. Neque quartum, quia præter illam legem generalem, quòd causę liberæ sinantur agere motus suos, virtute cujus offert illis concursum paratum in actu primo ad duas oppositas partes; decreto posteà absoluto, & particulari decernit, singulares eventus ab eis in tempore futuros, non quidèm antecedenti, sed concomitanti, quia ex illa generali lege tenetur decernere se conformando libertati ipsarum, ad quam conformitatem assequendam solum decretum concomitans est idoneum, non verò antecedens. Neque quintum, nam causam primam, & secundam in velle dicimus convenire ex præfata virtualis continentia voluntatis creatæ in divina, & ex illa generali lege, quòd causæ liberæ agant motus suos, virtute cujus tenetur decernendo eventus liberos coincidere in idem velle cum eis, & hoc est ei possibile absque ulla præscientia futuri eventus sub conditione ex illa virtuali continentia. Neque tandem sequitur vltimum absurdum, quia ad talem subordinationem, & dependentiam sufficit prioritas *à quo* ex parte divina voluntatis, sicut dicimus in tempore, quamvis simul concurrant.

Tertiò adducit quæst. 5. ab initio plures Scoti auctoritates, 188
quibus ostendere intendit decreta Dei æterna apud ipsum antecedentia esse, non concomitantia, nam quæst. 4. prolog. & dist. 38. primi, & d. 39. §. *visō de contingentia*, & quolib. 14. §. *hic intelligendum est*, docet, universaliter Deum antè scientiam futurorum contingentium sua voluntate efficaci omnia, & singula præfiniisse &, in hac voluntate omnia præscire, quo futura sunt, quatenus scit ex vi illius suæ voluntatis ad omnes illos effectus concursurū, & cōsequenter concursurā etiam causā secundā liberam, & d. 39. Z. conc. contingentiam per prius esse à causa prima, quàm à secunda, quæ utique non diceret, si decretum Dei esset concomitans, & non antecedens, tùm quia locis omnibus citatis semper independenter à voluntatę nostra ponit decreta, nec concomitantiam tangit, Et d. 41. A. Deus non prævidet, hunc benè usurum arbitrio, nisi quia vult, & præordinat, benè usurum, quia certa prævisio cōtingentiū est ex determinatione voluntatis divinæ, non addit nostram, ut concomitantem. Et 4. d. 13. quæst. 1. CC. causa secunda est moyens mota, non quòd recipiat motionem à prima, per quam moveat, sed quia in motione sua dependet ab alia priùs naturaliter actu movente; ergo non simul. Et 4. d. 49. quæst. 6. non est contrà naturam voluntatis determinari à causa superiori, & posse oppositum agere, sed contrà naturam ejus est determinari ab inferiori; & alia similia loca congerit, in quibus Doctor decreta divina memorat nulla facta mentione hujus concomitantiæ.

Respondeo, quòd si Doctor locis citatis non exprimit 189
concomitantiam decreti, neque etiam exprimit antecedentiam, unde explicari debebit juxtà ejus principia; verum est tamen, quòd prima illa loca præsertim ex d. 39. & quol. 14. non sunt satis ad propositum, eo quia ibi non loquitur præcisè de eventibus liberis, qui sunt futuri à voluntate creata, sed universaliter de omnibus futuris contingentibus etiam his, quæ à sola divina voluntate pendent sine interventu causę secundæ liberæ, quæ proindè in nullam possunt veluti primam sui causam reduci, nisi in voluntatem divinam; & quamvis d. 39. in calce dicat, contingētiam per prius esse à causa prima, quàm à secunda, per illam prioritatem intellexit solùm prioritatem à quo, non in quo, ut se explicuit 2. d. 37. lit. V. quod eò vel maximè dicendum est, quoniam Doctor ibi non tantùm loquitur de voluntate divina ab æterno decernente, sed 152
etiam in tempore concurrente ad liberos eventus, ut ibi Doctor se explicat, cum inquit, contingentia per prius est à causa prima, quàm à secunda, propterea quòd nullum causatum esset formaliter contingens, nisi à causa prima cōtingenter causaretur; & tamen in tempore arguens non admittit concursum Dei prævium, & antecedentem, sed tantùm simultaneum. In 1. d. 41. utique speciatim loquitur de futuris etiam à creata voluntate futuris, ait autem, non prævidere Deum, hunc benè usurum arbitrio, nisi quia vult, & præordinat, benè usurum, ut ostenderet, primam determinationem istorum quoque futurorum in divinam voluntate reduci debere

bere contrà eos, qui eam reducunt in causam secundam liberam sub conditione prævisam, quid esset factura, quippequod nisi divina voluntas ea quoque determinaret, nunquam haberent esse determinatè futurum, nec absolutè, nec conditionatè, ut dicemus q. seq. non ob id tamen omninò excludere intellexit determinationem creatę voluntatis, neque per illā prędordinationem intellexit antecedentiam decreti ordine causalitatis per prioritatem in quo, sed à quo, quo etiam sensu explicari debet illa particula *quia* Tùm quia loquitur ibi Doctor de operibus salutis, & pietatis in ordine ad vitam æternam consequendam, in quibus jam dixi, Deum antecedenter, ac etiam prius prioritate in quo decernere, & operari quoad prędmotiones gratiæ excitantis, & prævenientis, licèt non quoad consensum indè sequentem, & dependentem à nostra libertate ponendum. In 4. d. 13. q. 1. non loquitur Doctor de æterno decreto, sed de actuali concursu in tempore cum causis secundis, quem, & arguens ipse non admittit, nisi simultaneum, undè per illam prioritatem ibi Doctor intelligit solam prioritatem à quo, & independentiæ, non autem in quo, juxtà explicationem, quam dederat 2. d. 37. V. Tamdem locus ex 4. d. 49. palam est ad oppositum, siquidèm ait ibi Doctor, ex sola Dei prædeterminatione extrinseca Beatum carere proxima potentia peccandi, & impediri ab usu libero respectu actus peccaminosi, ut expendi n. 143. ideò autem dixit, non esse contrà naturam voluntatis determinari à causa superiori, quia ubi utraque prædeterminatio, scilicèt tàm à causa superiori, quàm ab inferiori indifferentiam proximam agendi, & non agendi tollunt; quę tamen est à causa superiori non extrahit voluntatem ab ordine suo causandi, quia adhuc eam relinquit in suo ordine, putà causæ inferioris, si quæ verò esset à causa inferiori, jam extraheret illam à suo ordine causandi, quia tunc non esset ampliùs causa superior, sed inferior, nam omnis causa determinata posterior est suo determinante, ut ibi se explicat, & jam expendi suprà n. 146.

Thomistarum Objectiones diluuntur.

190 QUartò contrà eandem concomitantiam arguit Alvarez lib. 3. de auxiliis disp. 22. Deus omnia causat decreto suę voluntatis efficaci, & absoluto, ut sæpè SS. Patres insinuant, sed tale decretum æternitate, & causalitate omnem actionem causę secundę, omnemque effectum antecedit; ergo non solùm antecedenter prædeterminat omnes effectus futuros; sed etiam causas ipsas ad illos efficiendos; probatur minor, quia causę secundæ pendent à prima, & in essendo, & in agendo. Tùm 2. Vel Deus vult ab æterno, me aliquid velle in tempore, quia ego id sum voliturus pro mea libertate, & Deus id præscivit; vel è contrà sum ego aliquid voliturus, quia Deus ab æterno voluit, me illud velle, primum dici nequit, etenim tunc divina voluntas subordinaretur causę secundæ nec diceretur *operari omnia secundùm consilia voluntatis suæ* ut habetur ad Ephes. 1. sed secundum consilium voluntatis nostræ. Tùm 3. quicquid creata voluntas efficit in tempore debet esse volitum ab æterno à Deo, ergò in tempore debent conjungi simul divina, & creata voluntas ad actum illum causandum; at duæ causæ conjungi nequeunt ad simul causandum eundem effectum, nisi altero ex his duobus modis, vel quòd causalitas alterius præsciatur futura, vel quòd superior antecedenter actum præfiniat, deindè in tempore secundam præmoveat ad agendum; cùm ergo primum non asseramus, secundum erit dicendum; ne dicere cogamur, effectum causaliter, & fortuitò ab utraque prodire. Tùm 4. quia si Deus ab æterno efficaci voluntate non præfiniisset omnia futura. aliquid in tempore posset ab eo fieri, quòd non esset efficaciter volitum ab æterno.

191 Respondetur negando minorem, cùm enim Deus ab æterno decernit, eventus liberos in tempore futuros interventu creatę voluntatis, consequenter etiam non se solo illos determinat, sed illos condeterminat cum ea saltèm virtualiter, quia ut sæpè dictum est, non aliter res determinat ab æterno, quàm sint in tempore futuræ, unde divinum decretum licèt antecedat ordine æternitatis ad tempus; non tamen ordine causalitatis, sed comitatur, & si est aliqua prioritas est, *à quo*, non *in quo*, per quam sufficienter salvatur subordinatio causæ, secundæ ad primam, tàm in decernendo ab æterno, quàm in causando in tempore. Ad 2. utrumque concedi potest in aliquo bono sensu; primum quidèm concedi potest, non quia præscieverit Deus, quid essem facturus antè decretum, sed quia legem statuit, ut sinerentur causæ liberæ motus suos agere, & se se accomodarè libertati earum, undè quia perfectissimè continet voluntatem meam secundum totam ejus virtutem, & indifferentiam in modo agendi, virtute illius legis in ferendo decreto coincidit **in eandem determinationem cum mea voluntate**, perindè ac si ipsa ab æterno fuisset, & simul determinassent effectum futurum; neque in hoc sensu absurdum est, asserere, Deum velle ab æterno, me aliquid velle in tempore, quia ego sum id voliturus pro mea libertate, cùm hoc expresè habeatur in Scriptura Sacra Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem in manu consilii sui, ad quod voluerit, porrige manum tuam*, & in concursu actuali tempore exhibito omnes hanc causalem admittunt Deum scilicèt mecum modò hanc scriptionem efficere, quia voluntas mea vult eam efficere; non est, inquam, absurdus iste loquendi modus, quoniam particula *quia* non dicit notam causalitatis, sed simplicis concomitantię; & ex sua liberalitate prorsùs oritur, quòd se velit sic accomodare causis secundis liberis, ne propria libertate priventur, sed plenissimè ea gaudeant, non autem oritur ex aliqua indigentia, vel imperfectione ex parte Dei, & ideò hinc non sequitur, causam primam subordinari secundæ, quia absolutè loquendo potest Deus se solo agere, quicquid causat cum causis secundis; neque etiam hinc sequitur, quod omnia non operetur secundùm cōsilium voluntatis suæ, sed nostræ, quia consilium voluntatis suæ fuit, ut sineret causas liberas motus suos agere, & nos in manu nostri consilii constitueret, & se se libertati nostræ accomodaret, undè hoc ipso, quòd condescendit consilio voluntatis nostrę, fortitur suum finem consilium voluntatis suę, & in hoc altissima consistit Dei providentia, & suavitas, qua causas liberas administrat. E contrà verò potest, & aliud quoque membrum concedi, quòd ego ideò sim aliquid voliturus in tempore, quia ipse voluit ab æterno, quoniam etsi hoc voluerit concomitanter mecum, tamen cum hac concomitantia stat prioritas à quo; tùm quia, quòd ego utar libertate mea, suæ liberalitatis est, & ex ea lege provenit, qua statuit, se se velle mihi accommodare, & causas secundas motus suos agere; in hoc, inquam, sensu causalis quoque ista concedi potest, non verò quia voluntatem creatam prædeterminet ab æterno omninò antecedenter præveniendo ejus consensum, ut ajunt Thomistæ. Ad 3. constat ex dictis nu. 186. ad 4. conjunctionem causæ primæ cum secunda virtualem quidèm in decernendo ab æterno, actualem verò ad simul agendum in tempore, ex neutro capite sumi assignato in argumento in nostro proposito, sed sumi debet ex perfectissima continentia causæ secundæ in prima secundùm omnem ejus agendi modum supposita illa generali lege, quòd causa prima velit secundas motus suos agere se se illis accomodando modo proportionato activitati illarum, & hac de causa nec casu, nec fortuna conjungitur, sed per se; & ex intentione causæ primę. Ad 4. totum conceditur, dummodo in eo fiat sermo de decreto concomitanti virtualiter decretum voluntatis creatæ, sine quo nihil potest esse futurum.

Quintò arguit Navaret. controv. 53. §. 3. prop. 1. efficax Dei 192
voluntas tendit in futura præsertim bona, tanquam prima causa eorum, & tanquam principium omnis efficaciæ, quæ reperta fuerit in causa secunda ad productionem eorum; ergo debet absolutè concedi, quòd Deum velle alia futura, est esse principium eorum, atque adeò, quòd eadem voluntas respectu omnium sit prædefiniens, ac prædeterminans. Tùm 2. voluntas Dei efficax comparatur ad rem futuram, ut prima causa, & primò influens in eandem; ergo ut prædeterminans extrinsecè ab æterno, intrinsecè in tempore. Tùm 3. voluntate efficaci Deus non solùm vult, effectum simpliciter esse, sed etiam esse liberè à sua causa; sed Deum velle aliquid esse, est Deum causare illud; ergo talis voluntas est prædeterminans, tàm actum, quàm principium producens ipsum. Tùm 4. pugnant inter se voluntas efficax, & non prædeterminativa causæ liberæ, nam si est efficax, ergo effectus efficaciter sequitur, & causa secunda efficaciter movetur; ergo prædeterminatur; probatur hæc consequentia, nam aliquin est impossibile, quòd voluntas divina efficaciter feratur in illud, quod non est executioni mandandum ex vi ipsius, sed est necessarium expectare concursum causæ, quæ potest illud exequi, & non exequi; neque Deus respicere efficaciter potest effectum, quem voluntas creata, quę est principium talis effectus, respiciat inefficaciter.

Respondeo, si in antecedente intelligatur voluntas Dei ef- 193
ficax, ita esse principium omnis efficaciæ causæ secundæ, ut principium actualis influxus sit sola causa prima, & omnis actio tollatur à secunda, negatur antecedens; si verò ita intelligatur, quòd virtus effectiva, quæ reperitur in causa secunda, habetur à prima, conceditur antecedens, sed negatur consequentia, quatenùs per ipsam infertur voluntas prædeterminans; nam virtus causæ liberę esse debet essentialiter **indeterminata ad utrumlibet**, ad hoc ut operetur liberè, quousque se determinet prorumpens in actum secundum, negatur etiam paritas de operibus bonis, & malis, nam in illis determinandis, & exequendis primas partes tenet Deus, quia voluntate signi, ut ajunt Theologi, eas antecedenter suadet, & consulit, & si fuerint ordinis supernaturalis, etiam priùs operatur per prædmotiones gratiæ excitantis, & prævenientis; è contrà verò in operibus malis primas tenet creata voluntas, quatenùs Deus eadem voluntate signi eas antecedēter dissuadet, & prohibet, & quantum est ex se, parata est divina voluntas rectitudinem dare, si daret voluntas creata, ut monet Doctor 2. d. 37. §. *ad solutionem istorum. &c.* Ad 2. verū est antecedens loquendo tantùm de prioritate *à quo* non autē *in quo*, & ideò nulla est cōsequētia indè deducta. Ad 3. distinguo majorem, si per voluntatem efficacem intelligatur voluntas prędeterminans, negatur, nam, prętęrquam quod hæc essęt manifesta principii petitio, impossibile, quod per voluntatem prędeterminantem possit Deus velle effectum esse libere à causa secunda, nam per talem prædeterminationē prævenientem ejus consensum imponeret illi necessitatem omninò antecedentē; si verò per voluntatem efficacē intelligatur voluntas determinata ad talem effectū producendū concomitanter cū voluntate creata, concedo majorē, & in eodem sensu concedo quoque minorē, scilicèt Deum causare quidēm, ut voluntas creata liberè operetur, non tamen hoc causāte eam prædeterminando ad unū, sed offerendo illis priùs concursum paratū ad utrumlibet, & posteà decreto absoluto. & ultimo prębere illū ad eam partem determinatū, ad quam liberè se determinaverit in tempore, quod sit decreto concomitanti, nō verò antecedenti. Ad 4. negatur assumptum, ad probationem negatur ultima consequentia, ad probationem cōceditur illa impossibilitas, sed negatur illam oriri ex decreto prędeterminante, nā oritur tantùm ex concomitante; undè illud est impossibile, tā secundùm nos, quàm Adversarios diversimodè tamen, nā secundū illos est impossibile impossibilitate omninò antecedente usum liberum voluntatis, quę proindè manifestè pugnat cum ejus libertate; at secundū nos est impossibile impossibilitate cōsequente usum liberum nostrū, quatenùs talis impossibilitas oritur ex decreto merè cōcomitanti, absq; prævisione tamē usūs liberi antè tale decretum; Urgent quoq; auctoritates Patrum, & Conciliorum ad probandas prædeterminationes; sed quia facilè explicātur, ut ly *præ* dicit tantùm prioritatem *à quo* ac etiam *in quo* loquēdo de operibus bonis ordinis supernaturales modo explicato, eas omittimus.

Oppositionibus Neutralium occurritur.

194 SExtò urgent Neutrales Suarez, Molina, Vasquez, Fasol. & alii locis citatis; nam cōcomitantia divini decreti salvans libertatem nostram ex alio capite oriri non potest, quàm ex prævisione effectus liberi à nostra voluntate futuri sub conditione ante tale decretum, hæc enim de causa dicitur cō. omitans, quia consequitur usum nostræ libertatis sub conditione prævisum; ergo tali prævisione negata decretum illud nō erit cōcomitans, sed omninò antecedens, & prædeterminans. Tùm 2. cùm Deus non præbeat in tempore causis secundis suū concursum, nisi sub conditione, nempè si ipse velint concurrere, consequenter non poterit ab æterno priùs determinare, quid eventurum sit in particulari à voluntate creata, nisi priùs videat illius inclinationem, nec aliter, nec alio modo potest hæc decreti concomitantia explicari, nam si determinat antè talē prævisionem, jàm non erit concomitantia, sed prædeterminatio. Tùm 3. principium est apud Patres, quod præscientia Dei non tollit libertatem, quia non est suppositio antecedens, sed consequens secundùm ordinem rationis in æternitate, quod Patres innuunt dicentes, nō ideò actum liberum esse futurum quia Deus præscit eum futurum, sed è contrà, ergò à simili (inquiunt) propterea determinatio Dei libertatem nō tollit, quia sequitur secundùm ordine rationis determinationem voluntatis creatæ sub conditione prævisā, nam si ipsa antecederet, non minùs libertatē læderet, quàm faceret præscientia Dei, si foret suppositio antecedens. Tùm 4. quia sic declarādo concomitantiam decreti ponimus voluntatē ferri in cognitum, quod apud Philosophos est impossibile; probatur sequela, dicimus enim, quòd Deus decreto suo vult effectum non quomodocunq; futurum, sed cum consortio virtuali creatæ voluntatis liberè se determinantis ad futuritionem illius effectus, & tamen negamus, determinationem talem liberam voluntatis esse pręcognitam saltèm sub conditione ab intellectu divino. Demum acerrimè urgent gravem difficultatem ductā ex actibus malis, quia ex cognitione cōtraria sequitur, Deū efficaci, & absoluto actu voluntatis suæ prædefinire positivam, ac realem actionem peccati, antequam illa sit, & prævideatur futura aliquo modo, nempè vel ut futura absolutè, vel saltem sub conditione; hoc verò consequens est maximum absurdū, apertè pugnans cum infinita bonitate, & sanctitate voluntatis divinæ; ergo absurda pariter censenda est opinio contraria, undè necessariò deducitur; quāti hanc rationem fecerit Suarez ut tom. 1. de gratia prologom. 2. cap. 9. num. 4. scripserit, hanc absurditatem esse sæpè inculcandam. & millies repetendam, ac latissimè tractandam, quia res est summæ considerationis, & quæ huic materiæ magnam lucem affert.

Respondetur negando assumptum, ut enim cōstat ex dictis 195
in toto hoc articulo concomitantia decreti divini sumenda est, non ex prævisione effectus liberi sub conditione futuri, ut volunt Neutrales, nam sic non diceretur propriè decretum concomitans, sed potiùs consequens usum creatæ libertatis, ut dictum est n. 167. sed ex continentia eminentiali voluntatis creatæ in divina, ex qua habet divina voluntas, suppositā lege generali, de sinendo causas liberas motus suos agere, & se se illis accomodando, tàm in concursu in tempore, quàm in decretis ab æterno, ut ferendo decretum in eandem prorsùs coincidat determinationem, in quam inclinabit creata voluntas in tēpore, & hanc concomitantiam explicari posse sine recursu ad scientiam conditionatam, qua antè decretum prævideatur effectus sub conditione futurus, fatetur Fasolus ipse dub. 17. n. 316. ut dictum est n. 173. ubi approbat totaliter sententiam nostrā de concomitātia decreti sine recursu ad scientiā mediam. Ad 2. negatur assumptū, quia sicut Deus ab æterno efficaci, absoluto, & determinato decreto decrevit, quicquid est absolutè futurū, ut ipsi quoq; Neutrales concedunt, saltem post prævisionē effectus conditionatè futuri, ità quoq; in tempore in actu secundo, ita determinatè concurrit cum voluntate nostra ad hanc partē, ut ex talis concursus excludatur opposita, estò in actu primo teneat cōcursum quoq; paratum ad oppositum; negatur itaq; quòd, si determinat divina voluntas eventus liberos ante prævisionem eorum conditionatam, sit prædeterminatio, & non concomitantia, nam aliūdè, & rationabiliùs sumi potest concomitantia divini decreti, quām ex tali prævisione. Ad 3. negatur paritas, quia cum scientia Dei sequatur decretum divinæ volūtatis, & istud involvat decretum, & determinationem liberam voluntatis creatę, benè possumus concedere, quòd scientia divina sequitur in ęternitate inclinationem voluntatis creatę, quatenùs scilicèt ipsa scīa est virtualiter in illo decreto Dei; at, quòd decretū Dei sequatur inclinationem voluntatis nostræ, nullo pacto possumus dicere, cùm in eo ipso decreto cōtineatur, & involvatur, quarè potiùs comitari dicendum est inclinationem voluntatis nostrę, quàm antecedere, vel subsequi. Ad 4. negamus sequelam cum ejus probatione ex dictis n. 138. ex quo enim Deus notitia simplicis intelligentiæ intelligit, quicquid ipse potest cum voluntate creata facere, & quicquid ipsa potest facere in quocunq; rerum ordine, licèt non quid sit determinatè factura, consequenter habet sufficienter sibi pręsentatam omnem determinationem voluntatis creatæ, ut possibilem, & hoc satis est, ut possit ad suum libitum determinare cum ea, facere quicquid vult, estò eam determinationem liberam voluntatis creatæ, ut futuram non pręcognoscat, sed per suum decretum potiùs futuritionem illam accipiat, etenim, ut docet Doctor 1. d. 10. ad ult. ad actum volendi utique oportet objectum volitum esse prægognitum, sed non prægnitam volitionem sic objectivè determinatā. Dices, futuritio talis effectus est volita, ergo prægnita, alioquin si Deus nō cognoscit certò, quid creata voluntas sit factura cum suo cōcursu, non poterit concorditer statuere, illum cōmunem effectum futurum ex ipsa cum suo concursu. Respōdetur ex Mair. d. 38. q. 2. §. *dico ergo*, quòd determinatio non est objectum divinæ voluntatis, sed est actus, & effectus ejus, & ita non oportet, quòd talis determinatio sit prægnita, quia nec est volita, nisi implicitè, & virtualiter; effectus verò futurus, quia est objectum volitum, ita quoque est prægnitum, non quidèm sub ratione futuri, sed possibilis, & sic etiam admitti potest, futuritionē esse prægnitam sub indeterminatione, non verò determinatè.

Ad ultimam difficultatem dico, tractādam esse inferiùs ex 196
professò dis. seq. an Deus decreto suo absoluto, & efficaci prædefiniat omnes actiones nostras liberas distinctè, & in particulari etiā malas; pro nūc dico, etiā Suarez ipsum lib. 1. de scien. futur. c. 8. in fine concedere, quòd licèt peccatū, ut sic, nullum habet in Deo decretum, tamen actus ipse liber, cui annexa est malitia, est ab aliquo decreto Dei in suo genere, cujus verba tetuli suprà n. 99. ūdè argumētū à Neutralibus præsertim urgeri solet cōtrà Thomistas ponētes decretū antecedens, & prædeterminans voluntatem creatā ad actū peccaminosum, quod valdè durum videtur, & piarum aurium offensivum; at contrà nos non urget magis, quàm urgeat Neutrales ipsos, qui no-

biscum admittunt concursum Dei simultaneum in tēpore ad quacumq; actionem positivam voluntatis creatæ, etiam illā, cui annexa est malitia; quarē sicut ad hoc argumentū cùm cōtrā ipsos retorquetur à Thomistis de concursu simultaneo ab ipsis admisso, respondent, diversam esse rationem de cōcursu simultaneo sequente liberā creaturę determinationē, ac prōindè à morali culpa prōrsus alieno, & de cōcursu prævio præ-determinante, & trahente ad se posteriorem creaturę determinationē: ac propterea morali culpę obnoxio, ut videre est apud Fasolum dub.17.n.384.in fine; sic etiam nos in proposito dicimus, diversam esse rationem de decreto prædeterminante, quo ordine causalitatis præcedit determinationē causę creatę & de decreto concomitanti determinationē ejusdem; valde quidem durum videtur, quòd Deus prædeterminet actus malos decreto antecedenti, non autem decreto concomitanti, sicut pariter nullum absurdum est concursu concomitanti, & simultaneo cum voluntate creata entitatem positivam actus Deum efficere in tempore, ut & ipsi Neutrales concedunt; & quamvis nos non dicamus, decretum Dei sequi formaliter determinationem liberam creatę voluntatis sub conditione prævisam, ut ipsi asserunt, dicimus tamen, eā concomitari, ratione cujus concomitantię adhuc verum est dicere, ideò Deū velle, ac determinare entitatem positivam actus, cui cōnectitur malitia, quia creata voluntas vult illam; & tantò magis, quoniam divina voluntas, quantum est ex se, daret rectitudinem actui, si eam dare vellet creata voluntas, nec obicem poneret, ut ait Doctor 2.d.37.*§.ad solutionem istorum*; sed de hac difficultate ut dixi, agemus infrà ex professo Disp. de voluntate Dei. Quamvis autem satis constet ex hactenus dictis Deū ex vi sui, decreti futura prænoscere contingentia, ut cōceptis verbis Aug. expressit de prædest. Sanctorum cap. 10. dicens *prædestinatione novit, quæ fuerat ipse facturus*, adhuc tamen magis explicandus est modus, quo id faciat art. seq.

ARTICULUS DECIMUS.

In quo declaratur modus, quo Deus certò cognoscit liberos eventus per decreta suæ voluntatis absque læsione libertatis nostræ.

197 FAcile est ex dictis colligere hujus quæsti resolutionem; & Primò quidēm dicendum est, Deum non præscire eventus liberos in determinatione suę voluntatis, tanquam in objecto quia unicum tantùm habet divinus intellectus primum objectum primitate adæquationis in movendo, & illud est essentia divina accepta sub ratione merè absoluta, & ideò nil aliud ne, que realiter, neque formaliter ab ea distinctum potest esse ratio motiva intelligēdi divino intellectui, novit ergo Deus futura contingentia in decreto suæ voluntatis, tanquā in medio determinante futura ad alteram contradictionis partem, ità planissimè docuit Scot.p.d.39.*§.visa de contingentia*, ibi enim quærens rationem propterquam divina essētia indifferens ex se ad ostendendam utrumq; existentiæ partem, ostendat, ac determinatè repræsentet divino intellectui hāc partē potiùs, & nō aliam absolutè futuram, respondet absq; dubio, esse divinam voluntatem determinatè volentem concurrere ad hanc partē determinatā, & non ad aliam, & ex hac divinæ voluntatis determinatione statim, & primò, ac immediatè intrà ipsum Deū intelligitur sufficiēter determinata divina essentia ad repræsentandum determinatè hoc futurum contingens, & non oppositum; Duplicem verò modū assignat ibi, quo dici posset divinum intellectum, tanquam per medium futura attingere contingentia, primus est per quandam sequelam, & quasi discursum, videt enim illud cōtingens fore pro A, quia volūtas determinat illud fore pro A, & quia scit voluntatē illam esse immutabilem, & non impedibilem, hinc deducit certam, & infallibilem notitiam illius futuri contingentis, & sequuntur hunc modum Maurit. Hyb.q. de præscientia art. 3. & Tromb. art.4 Sed quia hic modus cognoscendi futura videtur quēdā admittere discursum in divino intellectu, quatenus ex notitia decreti infallibilis, & immutabilis divinę voluntatis, tanquam ex principio discurrendi devenitet Deus in notitiam infallibilem, & immutabilem futurorum; alium statim subdit modum cognoscendi futura in sua essentia, tanquam in objecto primario, & motivo, per simplicem intuitum, non quidem nuda sumpta, sed jàm determinata per decretum ad repræsentandum determinatè alteram contingentis partem.

198 Verùm contrà hoc est gravis objectio, quia deretum Dei, ut formaliter liberum, nullam addit in Deo intrinsecā perfectionem, quę sit in posteriori signo, quando intelligitur Deus actu velle, & non fuerit, sed esse potuerit in priori signo, quando intelligitur Deus posse actu velle, & actu nolle; ergo nequit esse ratio, vel medium cognoscendi futura. Confirmat id Vasquez dis.75.cap.2.n.11. quia decretum suprà nudam essentiam nil aliud addit, nisi ipsum respectum rationis ad res futuras, hunc autem Deus videre nequit, cùm sit tantùm objectivè in intellectu creato viatoris; tùm quia licēt Deus seipsū videret sub tali respectu, ille non posset esse ei ratio, & veluti medium videndi futura, imò potiùs futura priùs videre debuisset, cùm respectus non cognoscatur, nisi cognitis extremis. Hac ratione concludit Vasquez, decretum dici non posse propriè medium, & causam cognoscendi futura, nisi tantùm remotam, quatenus scilicet ex decreto Dei quæcunque res est futura, & ad unum determinata, atque priùs, quàm res futura cognoscatur à Deo, dicitur ab ipso definita, & volita; ex hoc autem, quod est futura, statim est in seipsa cognoscibilis, cùm habeat determinatam veritatē, atq; ità in hoc sensu supposito decreto futura in seipsis à Deo cognoscuntur per simplicem intuitionem veritatis quam in se ipsis habent ab illo decreto derivatā Vulpes d.30.art.10.ex duplici capite hanc solutionem refellit primo quia falsum est, decretum Dei libere dicere solum respectum rationis, quamvis enim per talem respectum soleat à nobis explicari juxtà nostrum intelligendi modum, non est tamē præcisè talis respectus, sed est verē aliquid in Deo à parte rei expressum per realem tendentiam actus voluntatis suprà rem determinatè futuram; quæ tendentia illi actui nec addit realitatem aliquam, nec modum realem, quia cùm sit formaliter infinitus, sine nova entitate absoluta, vel respectiva suprà res etiam numero infinitas transire potest; Deindè quia etiam falsum est futura in seipsis posse a Deo cognosci, cùm enim ab æterno nihil sint in seipsis formaliter, nullam objectivam veritatem in seipsis à decretis divinis suscipere possunt, undè in seipsis realem intuitum divini intellectus valeant terminare. Hæc tamen impugnatio parùm urget; non quidēm ex primo capite, quia si realis tendentia actus divinæ voluntatis in rem futuram actui in se necessario nullam addit realitatem, neque ullum modum realem, ut Vulpes fatetur, manifestè sequitur nihil omninò à parte rei superaddere, nec absolutum, nec respectivum, sed solùm rationis respectum, qui nequit esse ratio, vel medium videndi futura; nec etiam urget ex alio capite, nam paulò post ostendam, futura contingentia posse etiam, ac debere in seipsis cognosci, non quidēm per modum objecti primarii, & primariò terminativi, sed per modum objecti secundarii, & secundariò terminativi, ut suprà dictum est de possibilibus. Breviter ergo ex alio capite respici debet solutio Vasquez, nimirùm quia si decretum ex hoc, quod solùm importat rationis respectum, nequit esse ratio, & mediū cognoscendi futura, eadem ratione neque poterit esse mediū determinans futurum ad alterum partem ut vult Vasquez, vel si adhoc est sufficiens, erit etiam sufficiens ad illud.

Respondet ad hoc dubium Mairon.q.d.38.q.2. *§. quantum principaliter* 199, quòd divina determinatio activa in voluntate Dei nō est nisi productio activa, qua volūtas ipsa objecta producit in esse volito, est ergo respectus rationis cōsequēs volūtatē in voluntate, sicut respectus rationis est in intellectu consequens intellectum; neque est inconveniens, quòd respectus rationis non confictus à ratione, sed derelictus, fit ratio cognoscendi rem; tunc ergo intellectus intuitivè cognoscendo respectum istum, cognoscit & terminum, quia respectus cognosci non potest, nisi per verum terminum. Attamen hæc quoque responsio deficit, primò quia ponit, Deum cognoscere futura in decreto, tanquam in objecto prius cognito, quod suprà refutatum est; deindè quia contrà hęc urget ratio tacta à Vasquez, & est Scoti 1.d.35. respectus non cognoscitur, nisi priùs cognitis extremis, atque ideò antè talem respectum rationis sive confictum, sivè derelictum, quem ponitur importare decretum, futura cognosci deberent. Respondeo igitur; quod quicquid sit modò de illa gravi difficultate, quid importet formaliter divinū decretū, aut quid connotet præter actum absolutum, & necessarium divinæ volūtatis, de qua satis dictum est disp.2.q.4.certum est ignorari non posse ab eo, qui scienter voluntatem suam determinavit ad hoc, vel illud objectum volendum efficaciter, & non aliud; nam inquit Apost.1.Corinth.2.quòd sicut nullus hominum scit, quę sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est, ità & quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei, qui scrutatur omnia etiā profunda Dei, hoc est secreta volūtatis ejus, ut Patres exponunt; quia ergo Deus perfectè scrutatur totā suæ voluntatis potentiam scientia simplicis intelligentiæ, & omnes rationes determinationis ejus circà fienda, vel nō fienda scientia visionis, sciens voluntatē suā nō simpliciter, & undè sumptam, sed, cū connotatione talis creaturę, quā liberè voluit, in tali differētia tēporis esse, seù ut loquitur Doctor 1.d.39. quatenus actu suo absoluto, & necessario cōtingenter transit super hanc, vel illam

illam creaturam, potest in ea sic inspecta scire talem creaturam libere futuram ex vi sui decreti, quicquid illud importet, quia talis futuritio, quatenūs libera, est effectus divinæ voluntatis ad creaturam terminatæ, ad quam creaturæ connotationem recurrit etiam D. Bon. 1. d. 38. art. 2. qu. 2. pro hac difficultate.

200 Secundò dicendum est, quòd licēt Deus futura contingētia cognoscat in essentia sua, tanquam in objecto primario priùs cognito, prout tamen à volūtate determinata est ad hanc partem potiùs futuri contingentis ostendendam, & non aliam, adhuc tamen ea cognoscit etiam in seipsis per modum objecti secundarii secundùm illud esse, quod sunt in se habitura pro hac, vel illa temporis differentia, eo modo quo de rebus possibilibus dictum est suprà q.1.art.3.n.36.ratio est, quia sicut res possibiles ideò spectare dicuntur ad objectum secundariū divini intellectus, quia re vera terminant divinā cognitionē secundū esse reale, quod eis non repugnat habere pro aliqua tēporis differentia, ita res futuræ per hoc attinere dicuntur ad objectū secundariū divinę intelligentię, quia re vera eam terminant secundū esse reale, quod habebunt pro aliqua certa, & determinata temporis differētia ex decreto divinę volūtatis Tùm quia quamvis futura ante tale decretum nullam habeant determinatam veritatem, eam tamen habēt post tale decretū, & talis veritas per modum objecti secundarii fundatur in esse reali, quod habebunt in tali tempotis differentia; ergo divinus intellectus, qui ob ejus infinitatē præcurrit temporū differentias, & intuītu suo prævenit rerum existentias, re vera attingit futura in seipsis secūdum illud esse reale existentiæ, quod habent in certa temporis differētia, perindè ac si forent rei realiter præsentia in æternitate secundùm propriam existentiā; ratio tamen, & medium, per quod procedit Deus ad cognoscendum futura, est ipsum divinū decretū, seù divina essentia per voluntatem efficacem determinata ad repræsentandum hoc, vel illud futurum; & hoc tātùm voluit innuere Doctor, cùm inquit, nō cognoscere futura in seipsis, quasi scilicēt essent rationes movendi divinum intellectum, quo pacto negat etiam, possibilia in seipsis cognosci; nunquam tamen negare intendit, quòd in seipsis non cognoscantur per modum objecti secūdarii, nam paulò post ostendam, futura contingentia posse etiam, ac debere in seipsis cognosci, non quidēm per modum objecti primarii, & primariò terminativi, sed per modum objecti secundarii, & secundariò terminativi, ut suprà dictum est de possibilibus. Breviter ergo ex alio capite respici debet solutio Vasquez, nimirùm quia si decretum ex hoc, quod solùm importat rationis respectum, nequit esse ratio, & mediū cognoscendi futura, eadem ratione neque poterit esse mediū determinans futurum ad alterum partem ut vult Vasquez, vel si adhoc est sufficiens, erit etiam sufficiens ad illud.

Respondet ad hoc dubium Mairon.q.d.38.q.2. *§. quantum principaliter* 199, quòd divina determinatio activa in voluntate Dei nō est nisi productio activa, qua volūtas ipsa objecta producit in esse volito, est ergo respectus rationis cōsequēs volūtatē in voluntate, sicut respectus rationis est in intellectu consequens intellectum; neque est inconveniens, quòd respectus rationis non confictus à ratione, sed derelictus, fit ratio cognoscendi rem; tunc ergo intellectus intuitivè cognoscendo respectum istum, cognoscit & terminum, quia respectus cognosci non potest, nisi per verum terminum. Attamen hæc quoque responsio deficit, primò quia ponit, Deum cognoscere futura in decreto, tanquam in objecto prius cognito, quod suprà refutatum est; deindè quia contrà hęc urget ratio tacta à Vasquez, & est Scoti 1.d.35. respectus non cognoscitur, nisi priùs cognitis extremis, atque ideò antè talem respectum rationis sivè confictum, sivè derelictum, quem ponitur importare decretum, futura cognosci deberent. Respondeo igitur; quod quicquid sit modò de illa gravi difficultate, quid importet formaliter divinū decretū, aut quid connotet præter actum absolutum, & necessarium divinæ volūtatis, de qua satis dictum est disp.2.q.4.certum est ignorari non posse ab eo, qui scienter voluntatem suam determinavit ad hoc, vel illud objectum volendum efficaciter, & non aliud; nam inquit Apost.1.Corinth.2.quòd sicut nullus hominum scit, quę sunt hominis, nisi Spiritus hominis, qui in ipso est, ità & quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei, qui scrutatur omnia etiā profunda Dei, hoc est secreta volūtatis ejus, ut Patres exponunt; quia ergo Deus perfectè scrutatur totā suæ voluntatis potentiam scientia simplicis intelligentiæ, & omnes rationes determinationis ejus circà fienda, vel nō fienda scientia visionis, sciens voluntatē suā nō simpliciter, & undè sumptam, sed, cū connotatione talis creaturę, quā liberè voluit, in tali differētia tēporis esse, seù ut loquitur Doctor 1.d.39. quatenus actu suo absoluto, & necessario cōtingenter transit super hanc, vel illam repugnat in aliqua temporis indifferentia.

At instat Vulpes, futura ab æterno in seipsis non extiterunt, 202
neq; in seipsis ullum esse formale habuerunt, secundùm quod in seipsis realem intuitū divini intellectus terminare possent, sed tantū esse virtuale in divina essentia modo explicato; ergo secundùm hoc esset tātùm divinam visionem terminare possunt & non secundum aliquod esse formale ipsis proprium. Respondeo, hoc argumentum plus probare, quàm velit arguens, ipse namq; prætendit tantùm, futura scientiam divinā motivè, & primariò terminare non posse, at probat ulteriùs, quòd neque secundariò possent terminare, quia nullum prorsùs ex parte ipsorum assignatur esse formale, & propriū, secūdùm quod divinam cognitionē terminare possint etiam per modū objecti secundarii, sed tantùm esse virtuale, quod habēt in ipsa causa, quod est ipsummet esse formale causæ; probat insuper, res possibiles in seipsis nullo pacto cognosci etiam per modum objecti secundarii, quia nullum esse formale, & proprium ab æterno habuerunt, secundùm quod divinam cognitionem terminate possint, sed tantùm esse virtuale in sua causa; sicut ergo de possibilibus pluries, inquit Vulpes, terminate in se divinam cognitionem, secundum esse reale, & formale ipsis proprium, nō quidēm, quod habeant ab æterno, sed quòd habere possunt pro aliquo tempore; ita pariter dicendum est de futuris, quòd ab æterno in seipsis terminant divinā cognitionem per modum objecti secundarii non quidēm secundū aliquod esse reale actuale, quod habent ab æterno, sed quod habituræ sunt pro certa temporis differētia, quatenūs divinus intellectus omnia supergrediens tempora prævenientes eorum existentias facit sibi eas objectivè præsentes in divina essentia post decreta divinæ voluntatis; non enim opus est divinam cognitionem, ut actu terminetur ad aliquod objectum immediatè, & in se, quòd requirat actualem ipsius objecti existentiam in eo signo, in quo cognitio exīstit, præsertim ut eam terminet per modum objecti duntaxat secundarii, sicut est in proposito de futuris, sed sufficit, quòd divinus intellectus tempora præcurrendo eorum existentias objectivè præveniat, & ad hoc moveatur à divina essentia per voluntatem determinata, tanquam ab objecto primario, & motivo.

Tertiò, quia dubitari solet, quomodo scientia Dei respectu 203
contingentium dici possit certa, ac infallibilis, cùm ejus objectum sit contingens, quod potest aliter se habere, præsertim cùm scientiæ certitudo, ac infallibilitas ab objecto sumatur, siquidem ab eo, quod res est, vel non est, cognitio dicitur vera vel falsa; notandum est, quòd futurum contingens, quamvis ex sua ratione formali, & intrinseca possit esse, & non esse, cùm ejus essentia consistat in indifferentia, ac indeterminatione ad fore, & non fore, potest tamen habere determinationem extrinsecè à causa liberè, & contingenter ponente ipsum in esse, & est, quod logici dicunt cum indeterminatione de possibili stare determinationem de in esse; hæc autem determinatio est certa, & infallibilis, nam effectus liber semel positus extrà causam dicitur necessariò esse, quando est, non quidēm necessitate simpliciter, alioquin contingens non esset, sed necessitate secundum quid, & ex suppositione, quòd existat, juxtà illud Phylosophi, omne quod est, quando est, necesse est esse 1. Periher, cum ergo Deus ab æterno cognoscat futurum contingens secundùm hoc esse præsens, & actuale, quod habet in tali temporis differentia, jam patet, quomodo habeat objectum certum, determinatum, ac infallibile; Et hæc est certitudo, ac necessitas, quam Recentiores tribuunt futuro contingenti, ut possit esse objectum infallibile præscientiæ Dei; Verùm quia, ut sæpè dictum est, futurum contingens, non tantùm attingitur à Deo, ut objectivè præsens pro tali temporis differentia, sed etiam quatenūs futurum pro to to tempore præcedenti talem temporis differētiam, in qua futurum habet esse actuale extrà suam causam, assignanda adhuc est causa extrinseca talis determinatæ futuritionis, ut & ipsa quoque possit esse objectum certum, ac infallibile divinæ cognitionis; & quidēm hæc esse nequit formalis, & actualis determinatio causæ proximæ, quia hæc non habetur, nisi in ea certa temporis differentia, in qua effectum ponit in esse, & toto tempore præcedenti manet formaliter indeterminata, & ideò recurrendum est ad decretum extrinsecum, & absolutum divinæ voluntatis, quatenūs virtualitèr ipsum comitatur etiam determinatio activa causæ proximæ ob continentiam ejus virtualem in divina voluntate, & quia hoc immutabile est, ac inimpedibile, hinc futurum contingens etiam sub ratione futuri fortitur certitudinem objectivam talem, qualis sufficit ad terminandam sciētiam Dei infallibilem, nam stante tali decreto non potest futurum non fore in sensu cōposito pro tali temporis differentia, licèt absolutè, & simpliciter possit non fore facta præcisione talis decreti. Ex quo sequitur,

necessitatem divinæ præscientiæ, ac etiam futuri contingentis, quod ponitur ejus objectum, non esse necessitatem simpliciter, qualis est ejus objecti, quod impossibile est, aliter se habere ex 1. Post. cap. 2. sed necessitatem immutabilitatis, qualis est necessitas divinæ voluntatis ad extrà, postquam semel ab æterno determinavit, aliquid fore; latum est autem discrimè inter utramque necessitatem, ut monuit Doctor quol. 16. H. prima enim excludit absolutè posse oppositum ineisse; altera verò excludit tantum posse oppositum succedere ei, quod inest; ut igitur scientia Dei libera respectu contingentium sit certa, & infallibilis, opus non est, quòd ejus objectum sit necessarium necessitate simpliciter, sed sufficit, quòd sit necessarium necessitate immutabilitatis, quale in proposito est futurum contingens, ut à divino decreto dependens; nec ei talis necessitas repugnat, sed sola necessitas simpliciter.

204 Quartò tandem constat ex dictis, quomodo cum certitudine divinæ præscientiæ bene ad huc cohæreat, & rerum contingentia, & nostræ voluntatis libertas; quia enim præscientia Dei non est causa, quòd res sint futuræ, sed potiùs è contrà cùm sit tantùm apprehensiva rectitudinis agendorum, non autem determinativa ex Scoto 1.d. 38. ad 1. prin. ideò ejus suppositio non est antecedens terum futuritionem, sed concomitans, vel consequens, ideò rebus necessitatem simpliciter non imponit, sed tantùm secundùm quid, & consequentiæ, quatenus ex divina præscientia valet à posteriori inferre, & velut à signo rem esse determinatè futuram. Et pariter, quoniam decretum divinæ voluntatis non est antecedens, sed omninò cõcomitans liberam nostræ voluntatis determinationem, ideò nec ipsa nostram libertatem tollit, nec necessitatem imponit, nisi secundum quid, & consequentiæ; Dices, suppositionem divini decreti, atque præscientię, esse omninò antecedentem, quia duratione præcedit liberos effectus nostrę voluntatis, qui tantùm in tempore ponuntur in esse. Tùm quia si esset suppositio concomitans, vel consequens usum nostræ libertatis; ergo esset in nostra potestate mutare præscientiam Dei, & divina decreta. Resp. negando assumptum cum ejus probatione, non enim apud Theologos dicitur suppositio, aut necessitas antecedens, quæ simpliciter antecedit ordine durationis, & æternitatis ad tempus; sed quæ antecedit in ratione causæ in divina cognitione, in hoc autem sensu neque præscientia, neque divinum decretum præcedit volitionem meam hodiernam, vel craſtinâ, nõ quidèm præscientia, quia hęc in æternitate præsupponit illam futuram, ut proprium objectum, nõ autem illam facit futuram, undè de præscientia loquens Boetius lib. 5. de consol. prof. 4. ait *non efficit quod signat, sed tantùm quid sit, ostendit*; nec minùs divinum decretum, quia Dei præfinitio immediatè respiciens actum futurum à libero arbitrio non est de necessario prærequisitis ad agendum, sed omninò de concomitantibus ejus actionem, cùm etiam ab æterno fiat simul saltem virtualiter cum libero arbitrio, sicut in tempore actualiter illum efficiunt concursu simultaneo. Ad aliud negatur consequentia, etenim duobus modis potest intelligi, præscientiam, ac divina decreta de nostris actionibus futuris esse in potestate nostra, uno modo sic, quòd illa mutare possimus efficiendo, quod irritũ fiat, quod semel decrevit Deus, & quod ab æterno scivit determinatè futurum, in tempore illud nesciat, sed oppositũ, & hoc modo omninò falsũ est, quòd sint in nostra potestate; alio modo, quatẽus nihil determinat à nobis futurum, nisi nobiscum saltem virtualiter ex lege jam statuta se se accomodandi causis liberis, ut eas suos motus agere sinat, & nihil determinatè præscit futurum à nobis, nisi post absolutam determinationem suę voluntatis, etiam involventem virtualiter determinationem liberam voluntatis nostræ, & in hoc sensu rectè dici possunt, tàm divina decreta, quàm præscientia divina in potestate nostra constituta, ex quo tamẽ non sequitur, nos posse illa mutare, aut impedire, sed tantùm quòd si aliter nos voluissemus in tempore ab eo, quod fumus volituri, aliter etiam ipse nobiscum determinasset ab æterno, & aliter præscivisset; & id est, quod conceptis verbis docuit Aufl. lib. de Concordia cap. 1. dum inquit, *Deus præscit omnia, & multa fiunt ex libera voluntate, quæ antequàm fint, fieri potest, ut nunquam sint, & tamen quodammodò sunt necessitate, quæ necessitas descendit de libera voluntate* sicut ergo ex mea libertate descendit v. g. quòd sim lecturus etas, ità quoque ex mea libertate descendit, comitante tamen etiam Dei volũtate, quòd ipse decreverit ab æterno, me eras lecturum, & quòd hoc ipsum sciverit ab æterno, undè cras legendo, ità liberè legam, ac si nullũ præcessisset decretũ, vel præscięntia de mea craſtina lectione, quia hoc totum factum est depẽdenter à volũtate mea, modo declarato in præcedẽti articulo.

205 Sed quamvis hic sit melior, & aptior modus cõciliandi nostram libertatem cum certitudine divinę præscientię, & efficacia divini decreti, nihilominùs Pẽnottus in suo propugnaculo lib. 4. c. 2 3. in fine adhuc in eo non quiescit, sed aliam difficultatem urget, quæ licèt sit antiquissima, & ore omniũ protrita, nullus tamen est (inquit) quantumcunque doctus, & eruditus, qui eam non timeat; est autem hæc, quòd semel cõstituto in Deo hoc decreto efficaci, quantumvis nostram libertatem concomitanti, vel consequenti, jam illud non potest amplius immutari, & cum illud de facto ãtecedat determinationem nostræ volũtatis, quæ fit in tempore, non est in potestate voluntatis nostræ divinum decretum immutare, & sic non est in ejus potestate, ut quod Deus decrevit, non sit futurũ, & sic tandem in exercitio, & in facto nulla erit libertas, undè tandẽ concludit, omnes Theologorum labores cuere in concilianda arbitrii libertate cum divinis decretis. Hac de causa c. 24. aliũ subdit modum conciliandi nostram libertatem cum efficacia divini decreti, dicens, quòd quia actiones Dei æternitatem mensurantur, non transeunt in pręteritum, ideò divinum decretum de actibus humanis liberis secundùm rei veritatem non esse concipiendum ad modum sententiæ definitivæ, quę jàm transierit in prætęritum, nam si hoc modo illud concipiamus, vix animus noster quiescere potest, ut non credat per illud sibi necessitatem imponi in suis actibus; sed concipiendum ad modum sententiæ adhuc pendentis quodammodo, neque absolutè determinatæ, antequàm per ipsum liberum hominis arbitrium sint posita in esse, & in actu omnia, quæ per ipsum poni debent, quam ait, esse Scoti sententiam 1. d. 40. ad 1. & D. Bonav. ibidem art. 2. qu. 1. & sequitur ex nostris Faber 1. disp. 54. cap. 5. n. 50. & disp. 56. cap. 2. n. 19.

Cęterum hunc dicendi modum refellere non est præsentis 206
negotii, etenim ex instituto reiicietur infrà dis. seq. q. 4. certũ tamen est, graviores pati difficultates, quàm cęteri hucusque relati, nam juxtà eum concedendũ est, Deum per totam æternitatem suspensum manere circà eventus liberos à voluntate nostra in tempore futuros, vel posse aliquid velle de novo in tempore, quod ab æterno noluerit, & è contrà, ut de facto cõcedit Pẽnottus loco cit. licèt conetur defendere id absque ulla mutatione ex parte Dei contingere posse, quod tamẽ esse impossibile, jam demonstratum est, disp. 2. qu. 4. art. 2. Quarè recedendum non est à modo conciliandi libertatem nostrã cum divinis decretis à nobis proposito; & ad rationem cõtrà factam concesso toto antecedente, neganda est consequentia, quòd tollatur nostra libertas in exercitio, quia tota illa necessitas est ex suppositione concomitanti nostrę libertatis usum, quæ ipsum non destruit, ut familiari exemplo declarari potest ex Scot. 2. d. 1. q. 2. ad 1. pr. si enim ego v. g. cras legere hodiè decerno, stante tali decreto eras necessario, & infallibiliter legã, non tamen ea necessitas libertatem tollit lectionis craſtinæ, quia suppositio hodiernæ determinationis est in mea potestate, ut ponatur, vel non ponatur, & quãdò etiam mea voluntas esset immutabilis, neque ob suam perfectionẽ posset decretũ jàm factum revocare, adhuc eras liberè legam, quia adhuc talis lectio procederet ex suppositione decreti, quod fuit in mea potestate, ut ponneretur, vel nõ ponneretur, licèt semel positũ in mea manu non esset illud revocare; ita ergo dicendum de nostris actionibus à Deo ab æterno nobiscum determinatis pro tali, vel tali tempore futuris, cùm enim talis determinatio fuerit ab ęterno in nostra potestate, modo jam explicato, ut ponneretur, vel non ponneretur, consequenter actiones omnes, quæ fiunt à nobis ex vi hujusmodi pręcedentis decreti, erunt liberę etiam in exercitio, quia necessitas earum est tantùm ex suppositione concomitanti, non verò antecedenti, ut suprà dictum est, & infrà adhuc magis explicabitur disp. seq. Quomodo præscientia Dei stet cum nostra libertate, tractat Aug. ex professò lib. 3. de lib. arb. c. 3. & 4. & lib. 5. de Civ. c. 9. & 10.

QUÆSTIO QUARTA.

De scientia futurorum conditionatorum.

CElebertima est hæc inter Theologos nostrę ętatis controversia, & tantò magis ab eis agitata, quantò minus à veteribus Scholasticis; ratio est, quoniam ab iisdẽ Recentioribus omninò necessaria exiſtimatur ad cõciliandã libertatẽ nostrã cum divinæ præscientię certitudine in ordine ad futura absolutè nec non ad explicandam concordiam divinę prędestinationis, & gratiæ efficacis cũ arbitrii creati libertate; Et, ut punctum controversię aperiatur, non est difficultas de futuro cõditionato necessario, quod naturaliter sequitur ex antecedẽti conditione, ut si Petrus curreret, moveretur, nam hujusmodi futura sunt certò cognoscibilia ex vi necessariæ illationis, & connexionis consequentis cum antecedente, & ideò nulli dubium

bium est, talem conditionatorum scientiam in Deo dari certissimam, & infallibilem; sed controversia est, de futuris cõditionatis, quæ ex vi antecedentis conditionis possunt sequi, & non sequi, cujusmodi sunt omnia futura libera, quæ positis quibuscunque conditionibus ex vi solius libertatis causę possunt sequi, & non sequi, & hæc sunt duplicis generis, alia, quæ important cõditionem, ex qua non necessariò sequitur futurum, sed tantùm topicè, & probabiliter, ac veluti per quandã congruitatẽ; ut *si Petrus fuerit in gymnasio, disputabit*; & hæc dicuntur futura conditionata ordinata ad distinctionem alterius generis futurorum, in quibus neque necessariò, nec probabiliter, aut per quandam congruitatem ex antecedenti conditione sequitur consequens, sed omninò disparatè, ut *si Petrus disputabit, Paulus comedet*, quæ duo ex natura rei nullam inter se habent connexionem, neque necessariam, neque probabilem, atque ideò dicunt futura conditionata disparata; Itaque de futuris liberis conditionatis generis utriusque est controversia quoad tria puncta; primum est, an de huiusmodi futuris conditionatis detur in Deo certã, & infallibilis scientia; secundùm, an ea cognoscat antecedenter ad quodcunque decretum conditionarum divinæ voluntatis, vel potiùs post alia decreta; tertiùm tandem, an huiusmodi scientia conditionata spectet ad scientiam simplicis intelligentiæ, seù naturalem; nùm ad scientiam visionis, seù liberam; vel demum, an potiùs constituat quoddam tertium genus scientiæ medium inter illas; de quibus sigillatim agemus articulis sequentibus; Ex quo constat, nos hic accipere futurum conditionatum, prout conditio præcisè se tenet ex parte ipsius objecti, non autem, ut cadit suprà actum divinæ voluntatis, seù suprà divinum decretum, undè hæc conditionalis *si Deus vellet, me lecturum cras, cras legam*, non est futurum conditionatum, de quo hic est sermo, & ad scientiam conditionatam spectare dicitur; sic enim sub conditione futurum simpliciter loquendo à parte rei non egreditur latitudinem possibilium, quia conditio hoc modo nihil ponit ex parte objecti scibilis, quantum ad ejus futuritionem determinatam, sed quòd sic pronunciatur futurum, ex parte objecti est merè possibile, & ideò non ad scientiam conditionatam spectat, quę sit aliquo modo diversa à scientia simplicis intelligentiæ; futurum igitur conditionatum, quod ponitur objectum scientię conditionatæ, de qua hic loquimur, dicitur tale, prout conditio se tenet pręcisè ex parte ipsius objecti, quod dicitur futurum; non absolutè, sed dependenter ab aliqua conditione; & in hoc sensu scientia, sub qua cadit, dicitur conditionata, non quòd ipsa scientia in se absolutè exiſtit, sed quia conditionatum est objectum ab ipsa scitum.

ARTICULUS PRIMUS.

An Deus certò, & infallibiliter cognoscat futura conditionata libera.

208 NOn hic inquiritur, an Deus certò, & infallibiliter talia futura cognoscat antè decreta conditionata, vel post, quidem dubium in hoc sensu pertinet ad sequentem articulũ, sed quæritur absolutè loquẽdo, an detur talis scientia certa, & infallibilis in Deo, sivè hæc sit antè, sivè post decreta; itaut sit quæstio de certitudine præcisè, nõ de modo certitudinis, qua de re tres sunt præcipuæ opiniones. Prima est quorundã Thomistarum, hanc scientiam non dari formaliter in Deo, sed tantum virtualiter, & eminenter, ita Navarete cum quibusdam aliis contt. 56. §. 2. cujus fundamentum est, quia conditionalia formaliter, & secũdum se non sunt certò cognoscibilia, sed intrinsecè claudunt imperfectionem objecti opinabilis, & cõjecturabilis. Secunda est aliorum Thomist. asserentium, dari quidem in Deo formaliter scientiam conditionatam, non tamen omninò certam, & infallibilem, sed tantùm probabile, & conjecturalem, ita Cabrera cum aliis 3. p. q. 1. ar. 3. disp. 1. §. 22. quibus consentire videtur Faber ex nostris 1. disp. 45. c. 2. n. 30. quatenus asserit, Deum antè decreta cognoscere quidem futura, non tamen certò, ac infallibiliter, licèt posteà in eodem capite probet, futura sub cõditione cognosci à Deo certò, & infallibiliter antecedenter ad quodcunque decretum non sine evidenti cõtradictione; cujus sententiæ fundamentũ est; quia non est imperfectio cognoscere solùm per conjecturam objectum aliquod, quod non est alio modo cognoscibile, sicut nõ est imperfectio non cognoscere, quod non est cognoscibile. Tertia tandem, & communis sententia est, dari in Deo hanc scientiam conditionatam certam, & infallibilem, formalẽ, & non tãtùm virtualem, ita passim omnes Societatis Jesu Theologi, & ex Thomistis quamplures, ex nostris Smisinch. tract. 3. disp. 2. q. 5. & Vulpes disp. 31. art. 1. Poncius disp. 5. q. 6. n. 23. Sghemma opusc. cit. q. 2. & ex antiquis Mauritius Hyber. q. de

præscientia, & rerum contingentia art. 3. prop. 23.

Colligit autem Vulpes ibidem initio articuli hanc sententiam ex Scoto 3. d. 21. suprà lit. A. ubi quærit, utrum corpus Christi fuisset putrefactum, si resurrectio non fuisset accelerata, & resolvit, putrefactionẽ, & resolutionem prædicti corporis certò futuram esse, sub conditione tamen, si nempè actio causarum naturalium impedita non esset, sicut etiam certò naturaliter futura erat mors Ezechiæ, Isaię 38. sub conditione, si Deus supernaturaliter non prohibuisset causalitatem causarum naturalium, estò neutrum exiterit absolutè futurum propter absolutum Dei decretum æternum, quo voluit actionem illam causarum naturalium suspendere, atq; adeò Deus utrumq; præscivit tanquam determinatè futurum, secundum quid tamẽ, & sub conditione; Ex quibus luculenter sequitur, infert Vulpes, secundùm Scotum in enuntiationibus de futuris conditionatis, quæ Sacra Scriptura commemorat, ut pœnitentia Tyriorum, & Sidoniorum, si apud eos factæ essent virtutes, quæ factæ fuerunt Corozaim, & Bethsaidæ, descensus Saulis in Ceilam, si indè David non aufugeret, & alia hujusmodi verè, & propriè determinatam reperiri veritatem, secundùm quam certo à Deo per suam scientiam attinguntur tanquam determinatè futura. Cæterum ex Scoto loc. cit. malè deducitur resolutio hujus quæsiti, siquidem Doctor ibi loquitur tantùm de futuro conditionato necessario, quod naturaliter sequitur ex antecedenti conditione, hic autem sermo est de futuris conditionatis liberis, quæ non necessariò, & naturaliter sequuntur ex antecedenti conditione, sed merè contingenter ex dispositione causæ liberæ, undè concesso, futura conditionata, de quibus loquitur Doctor loc. cit. habere determinatam veritatem, secundùm quam certò possint à Deo præsciri, negabitur, futura conditionata libera habere realem certam, ac determinatam veritatem, quia necessario non sequuntur, nec ex antecedenti conditione, neq; ex dispositione causæ liberæ, quæ semper indeterminata est quousque exeat in actum. 219

Aliundè igitur firmiùs deducenda est hæc scientia futuro- 210
rum conditionatorum ex Scoto, quam quidem clarissimè admisit 3. d. 14. quæst. 2. §. *contrà rationem in fine*, ubi ait, quod intellectus animæ Christi posset cognoscere in verbo aliquod possibile futurum nunquam fiendum, quod non est nisi futurum cõditionatum, quandoquidem mediat inter purum possibile, & absolutè futurum fiendum; & quamvis ibi de futuro conditionato libero specificè non loquatur, quia tamen genericè de omnibus loquitur, & absolutè, cõsequenter significat, dari in Deo scientiam omnium futurorum conditionatorum, tàm necessariorum, quàm liberorum, an verò talis scientia spectet ad scientiam visionis, vel potiùs simplicis intelligętię, ut hinc contendit deducere Faber, dicemus art. 3. hic enim solùm probare intendimus, dari talem scientiam in Deo etiã de mente Doctoris. Expresè verò de futuris conditionatis liberis loquitur 4. d. 16. quæst. 2. quatenùs ad scientiam conditionatã spectant, cùm enim sub lit. F. sibi objecisset, quòd antè remissionem culpæ intellectus divinus scit certò peccatorem puniendum; ergo illud scitum est verum; post remissionem autẽ scit, illum non esse puniendum, ergo hoc scitum est verum, ergo datur trãsitus in scientia divina; respondet deindè sub lit. K. negando esse transitum in scientia divina, quia voluntas divina ab æterno pro instanti A. pro quo iste peccat, vult illum esse puniẽdum volitione conditionata, scilicèt si fiat in termino; & si instanti B. peniteat, vult istum pro tunc, & pro toto tẽpore habito usque ad instans novi peccati non esse puniendũ, quod est velle istum conditionaliter non punire, si fiat in termino; hic ergo non est transitus aliquis ab uno oppositò in aliud oppositum, sed hic est circà idem objectũ velle cõditionatũ affirmationis pro uno instanti, & velle conditionatũ negationis pro alio instanti, per quod patet, inquit, nullum esse transitum in volũtate divina, quia ista duo velle in ęternitate stant simul circà idem objectum in ordine ad diversa tẽporis instantia; neque in divino intellectu, hoc enim non est aliud, quàm scire, istum esse ordinatum ad pœnam per actum voluntatis conditionatũ pro illo instanti, pro quo sic est ordinatus, & nõ ordinatum pro illo instanti, pro quo non sic est ordinatus; ita Doctor ibi; ex quo planissimè constat, posuisse scientiã in Deo de futuris conditionatis liberis; Deniq; ex variis quæstionibus, quas Scotus, & alii Scholastici movent conditionalibus, & hypotheticis, planè deducitur, & ipsum, & alios scientiam futurorum hujusmodi in Deo agnovisse, dum illas resolvendo censent, alteram partem eorum futurorum esse veram, & alteram falsam, tales sunt quæstiones illæ, an, si Adam non peccasset, Filius Dei incarnatus fuisset; an, si homo non peccasset, futura fuissent sacramẽta, & sacrificia; an parvuli sine baptismo decedentes damnentur propter peccata, quæ patra-